ILLVSTRISSIMI

ROTHOMAGENSIVM ARCHIEPISCOPI, NORMANIÆ PRIMATIS,

Ad Sanctiſſimum Patrem Noſtrum

VRBANVM VIII.

PONTIFICEM MAXIMVM,

EPISTOLA.





LVTETIÆ PARISIORVM,

Apud ANTONIVM STEPHANVM, Typographum Regium, viâ Iacobæâ, ad inſigne Oliuæ Roberti Stephani.

M. DC. XXIX.



Sanctissimo Patri Patrum,


VRBANO,

Pontifici Maximo,

FRANCISCVS,

ROTHOMAGENSIS METROPOLIS
Episcopus, Specialis eius filius,

Humillima pedum oscula ; & non seruilis timoris, sed castæ dilectionis obsequium.



TSI promptissimus ad satisfaciendum, ægrè tamen ad scribendum resumo cadentem iamque fugientem, erubescentem sanè, calamum: illum illum, BEATISSIME PATER, quo mihi ad te non tanquam

ad antiquum illum patrem adeundi, ſed velut apud nouum iudicem confitendi, neceſſitas accidit. Te ſedente, qui omnium eloquentiam excitas dum contines, me Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ ſcribendæ vel vtilitas, vel temeritas inuaſit. eâ recti ſpecie, quòd literis noſtris Eccleſiaſticis apto à multiſque deſiderato vſui, & Eccleſiæ Dei tempore Epiſcopatus mei alicui ornamento eſſe poſſem ; prætereà Hæreticos noſtros atque Schiſmaticos, malóſque Politicos, ſimplicibus fratribus plerúmque moleſtos, ad quandam Eccleſiaſticæ Pacis normam tranquillitatémque, ſtyli mei quodam tenore & æquabilitate reducerem. His armatus ſtudiis nouum certamen iniui: pro ſcuto quodcunque zelus telum dediſſet, arripui; pedeſtre tantùm ſumpſi, non quo tam oneratus quàm habilis forem ac tectus. Cúmque firmâ fronte irruiſſem, hoſtémque de gradu, vt mihi quidem videbatur, deieciſſem, monuerunt me Fratres mei, tui verò filij, aliquo me vulnere, meo ipſius telo, petitum; quod ſenſere illi, quàm ego,

prius.

priùs. Inclamatum pudore vel metu, quòd nouo bellandi more, dum parui illius pastoris ritu tutiora arma abiicio, exercitus Dei Duci præiudicium infero, moueóque arma quæ non licent; nec hodiernis gigantibus, qui caput præſertim ſacrilego auſu impeterent, eſſe inſultandum, eum in modum quem commilitones noſtri, quorum iudicio lubens acquieſco, pro temerario habent. Itaque plus Fratrum concordiæ atque charitatis & obedientiæ maximè Paternitati tuæ exhibendæ, quàm gloriæ auidus, aut victoriæ curans, non ſolùm ceſſi, ſed vltrò parui: méque totum in triumphalis illius ſenioris mei, clariſſimi certiſſimiq; fidei bellatoris, Nannetenſis Epiſcopi diſciplinam tradidi, eiúſque monitis, definitionibus correctionibúſq; ſubſcripſi: maluíque, quod inter Epiſcopos ſanctius eſt, humilis famæ eſſe quàm nouæ. hancq; adeò ſubſcriptionem, lacrymis humidam meis (quod ſacrificium ne Chriſtus quidem, cuius vices geris, reſpuit) eius manibus conſecraui, velut æternum inuiolatæ inter nos pacis ac

perpetuò tibi debitæ, BEATISSIME PATER, obedientiæ & humilitatis depositum atque monumentum. Quod ille, si ita tuæ visum fuerit Sanctitati, ad eam referat, ac illud, méque adeò ipsum, eius non iudicio tantùm, sed & pedibus subiiciat. Sic tamen in Regulam peccaui, dum more in aduersum nitentis aliorsum paululum flectendam incautus arbitrarer; vt inconsiderantiâ potiùs quàm certâ voluntate aberrauerim. Sed quid desperandum? si dum coram Elisæo ligna ad ædificandum cædunt filij Prophetarum, & securis excidit, & emersit? Si quid nihilominus in hac sylua rerum grauiùs à me peccatum credis, quàm mihi ipse persuadeam; plecte, vre, seca, confidenter tuo iure vtere in obedientiam aliis oculatam, sibi cæcam. nihil hîc inueniet potestas tua, quod exemplo non cedat; vbi cum parendi necessitate, voluntas religione certat. Per te eueniet profectò, vt me haudquaquam ferentẽ vt per meum latus tu petare, fæliciter peccasse, vel tui inimici meique inuidi quandóque

fateantur. Neque verò id dico, quòd tam nota quàm libri sunt, æterna illa Regula clementiæ Romanæ: *Sedis Apostolicæ moderatio, hanc temperantiam seruat, vt et seueriùs agat cum obduratis, et veniam cupiat præstare correctis.* Vel quòd inter Acta Oecumenici Chalcedonensis Concilij sonat, eiusdem Apostolicæ Regulæ Græcè scripta firmatáque relatio. Quis enim nesciat, illud esse Petri Cathedræ proprium, vt & cantantis galli & remissionis septuagesimæ septimæ sempiternum meminerit? Deinde, hæc est vis retractationis Christianæ, vt quem pænitet fecisse, sit innocens. Hanc primus legem in propriis libris Augustinus fixit; potuisséque fieri etiam cum laudis cumulo, senili Episcopalíque exemplo nobis iunioribus posterísque demonstrauit. Sequor igitur post magnum illum vestrum Æneam Syluium, qui Pij inde meritò cognomentum assumpsit, Augustinum retractantem; sed eâ viâ quam tu, PATER BEATISSIME, indicaueris: ne riualis ille noster, humanus sensus, contemptu pre-

mat, quem nec amore vicit, nec inuidiâ ſuperauit. Tuus quippe lituus, nauis Petri anchora eſt, quam Bethleemiticus ille alioquin doctor Hieronymus, ne ſe ſibi perderet, tenuit, cùm per Orientis fluctus dubia rerum gerendarum fides, & inter plures de Antiochena Sede contendentes pænè inextricabilis Hiſtoriæ error eſſet. Quapropter ego vnitate cum Apoſtolica Sede, vt meâ vnâ virtute me inuoluo, dum reuolues, quæ nos dicere iis oporteat, quibus vt in lucta, quod boni palæſtritæ ſolent, nonnihil tunc quidem cedendum, non ſatis rem expendenti, videbatur, vt fortiùs ſternerentur. Hæc nihilominus, ſed prudentiùs fæliciúſque vſurpata, fuit athletica Epiſcopalis ars Gregorij tui Nazianzeni, quem vnum poſt Apoſtolum Ioannem tota Orientalis Eccleſia Theologum nuncupat. Quod enim priore meo libro Apologetico ad Anglos, pictores imitatus eram, quamplurimis coloribus ac lineamentis hincinde additis; id in hoc poſteriore, alia Hiſtoriæ arte, quæ non contractior ſed diffuſior,

fuſior, proindéque profuſior, ſculptorum inſtar, initiò quædam alicubi quò cætera magis eminerent, quod iam certè nolim factum, detraxi. Continuò tamen quæ detraxeram repleuiſſe me arbitrabar, ſummi immenſique exemplo artificis, qui pro coſta carnem addidit, & ex detracta parte ſuam pulchriorem ſtatuam ædificans, primum Eccleſiæ typum in prima muliere animauit. Sat nimirum non pro rei quidem magnitudine, ſed pro fide mihi videbar dixiſſe; qui dixiſſem, primis illis Conſtantini temporibus, Romanum Pontificem in Papa Melchiade, de Primatibus, de Conciliis, ſpectante Imperatore, ſuo iure nulla iniuria iudicaſſe; eiúſque ſupremam in omnes Eccleſias auctoritatem, etiam Gallia Synodicè decernente, agnitam, atque exercitam, in oculis humeríſque æmulæ Carthaginis atque Africæ fuiſſe. Addere potui, ſed vt monueram, in proprium locum, tempora nimirum Clodouæi diſtuli, tres illas propè diuinas Gallicanorum Præſulum pro Romano Pontifice ſententias in

causa Symmachi Papæ, accusati apud Theudericum Regem. Earum prima est: *Dum de causa Romanæ Ecclesiæ anxij nimis ac trepidi essemus, vt potè nutare statum nostrum in lacessito vertice sentientes; quos omnes vna criminatio vtique sine inuidia multitudinis percusserat, si statum Principis obruisset.* Altera verò: *In Sacerdotibus cæteris potest, si quid fortè nutauerit, reformari: at si Papa Vrbis vocatur in dubium, Episcopatus iam videbitur, non Episcopus, vacillare.* Tertia denique: *Reddet rationem qui ouili Dominico præest, quâ commissam sibi agnorum curam administratione dispenset. cæterùm non est gregis, pastorem proprium terrere, sed iudicis.* Quæ trina nostra antiqua & certa de Petro confessio, trinæ Petri confessioni respondens, haud ampliùs differri nedum dissimulari potuit, hoc misero rerum statu, in quo discordiarum amantes, eiúsque petræ excidium meditantes, quam Ecclesię suę basim proximè sibi inhærentem Dominus constituit, minima quæque aucupantur: id vnum satagentes, vt concusso commotóque fundamento corruat ædificium. Hi

nimirum ſunt vix ſemidocti Schiſmatici, lingua atque auribus prurientes, qui ſeſe audent inſerere noſtræ doctrinæ; qui tamen vt obſtantes muſcę aut viperæ, electro noſtro capiuntur, cui culpa noſtra incurrunt. Materiam ſcilicet ſuppeditante laudis, occaſione quæſiti imminentis periculi; quod facilè nihilominus caueam ac propulſem, ſi me colligam, ſi me capiti arctiùs iungam. Sic moribundum Patriarcham Iacob, finitis mandatis quibus filios inſtruebat, colligentem pedes ſuos ſuper lectulum, diuina Scriptura inducit: repræſentatura myſterio, quod ſolutione virium extenſis deſtitutiſque calore membris, mortalitatis conditio denegabat. Erat ſcilicet Populo Dei futurum, quò nos colligeremus, non primarium illud modò Chriſtus Dominus, ſed & vicarium eius caput; abs quo diuidi atque auelli ſine interitu membra nequirent, & quî-cum ſi quis fortaſſe non colligeret, eum ſpargere neceſſe eſſet. Neque enim de ſempiterno Dei filio, animarum noſtrarum Epiſcopo, qui bono-

rum nostrorum non eget, intelligi hæc possunt prioris ad Corinthios: *Non potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarij.* De eo ergò proculdubio capite diuinus loquitur Apostolus quod nos vicarium nuncupamus: quódque etsi indigeat membrorum, omnibus tamen membris supereminet. Quare meritò audimus acclamatum: *Eiice foras Acephalos: si vicerint, morimur;* in Concilio Tyrio, cuius Acta continet Constantinopolitana Synodus; quæ quondam habita est sub Agapeto & Menna. Sed non est huius loci, nec dolentis, at docentis, hæc adferre ac persequi curiosiùs. Exemplo, SANCTISSIME PATER, in hoc luctu non doctrinâ opus est; eóque non alieno, sed meo: nam, tradito Ecclesiæ more, quærendum in confessionis submissione munimentum. Iam itaque simplicissimè tecum loquar, cui soli facti mei reddere debeo rationem, si ratione consisteret. Nunc pænitentia in rationem assumpta, Cælum in Capitolio quæro: ad Vaticana numina suspiro: iam ad Sedem, mox ad te Sedentem oculos


conuerto

conuerto, cui iam vultus eſt iudicis, ſed vereor ne fulminantis! Aut iam certè fulgurat, aut fulgor eſt micantis Throni, cuius vim tremendam ſummo ſuo malo ij ſentiunt qui noua, mala conſcientiâ proferunt; at contrà incredibili ſua fælicitate agnoſcunt, qui antiqua, bona fide reuoluunt. Neque enim à te terror eſt: monet enim ſæpius, qui fulminat; nec qui altiùs ſua tonitrua deiicit, ad quemcunque euentum temere proiicit; cautos facturus plures, quàm noxios. Splendor eſt ergò cunctis reuerendæ Sedis, quæ ſe emergentibus culpis cum Cælo claudit & aperit, ſcintillátque quia toti Orbi propè eſt, quantumuis diſtanter præeſt. Vnde memorandum illud Cæleſtini Papæ, Epiſtola poſt damnationem Neſtorij, ad Sanctam Synodum Epheſinam: *Longiùs quidem ſumus poſiti; ſed per ſollicitudinem, totum propiùs intuemur. Omnes habet Beati Petri Apoſtoli cura præſentes.* Hanc nuſquam magis dignitatem atque maieſtatem Eccleſia vniuerſa ſenſit, quàm cùm in quingentis & viginti Epiſcopis numeroſiſſimè Chalcedone congregata, Leoni Magno Synodicam mi-

ſit, vt quandam Dioſcori ingentem prædam: qua ſe Vniuerſali Paſtori ſubmittens, humillimè de cunctis qui conſederant Epiſcopis, Græco ſermone diceret: *Quibus tu quidem, ſicut membris Caput præëras, in his qui tuum tenebant ordinem, beneuolentiam præferens. Imperatores verò fideles, decentiæ pacique Synodi præërant, ſicut Zorobabel et Ieſus, Eccleſiæ tanquam Ieruſalem, ædificationem renouare circa dogmata adnitentes.* Nempe in hoc Synodico Epithalamio, ſuccinebat Marciano Sapientiſſimo Imperatori, qui aureis illis dictis, Chalcedonenſi Actione Sexta Eccleſiaſticam auctoritatem confeſſus, prædixerat: *Nos enim ad Actorum fidem, non ad Potentiæ demonſtrationem, exemplo Religioſi Principis Conſtantini, Synodo intereſſe voluimus; vt inuenta veritate, non vltra multitudo, prauis quorumdam doctrinis attracta, diſcordet.* Verùm, cætera quid moror; qui non ſolùm Petro, ſed & tibi tot debeo ac tanta? in quo vno ea ſunt, vt dignus ſis, à quo poteſtas inciperet? Ac certè vereor ne in eo quod exempli audacia nocui, plus peccati in te quàm mœroris de auſis noſtris apud me memoria perſeueret. Hæret enim me-

dullitus pia tua affectio, quæ si crudo adhuc morbo primam medicinam adhibuisset, numerarem beneficia non vulnera. Sed minimi dolores loquuntur, ingentes stupent. A me præmittitur pænitentiæ exemplum: tuum est id perficere, quod à te maximum exspectatur; ac in me ostendere, & hac ætate & futuris temporibus, quantum in partem pietatis indulgentiæque inclines: quámque gloriosum ducas, inueniri in Sanctitate tua non nomina tantummodò ac dignitatem verissimi Christianorum patris, sed & viscera. Ignosces, PATER BEATISSIME, quia Optime: te iam quem elegeram iudicem, agnosco patrem: quæ hîc boni malique causantur, licenter refero: vt pueri solent, quibus spontè profluentes lacrymas quodam tamen casu cogente expressas, siccauit pater; quos etsi infantissimos, iam ad colloquium non ad castigationem & iudicium, seipsum præ amore puniens, appellat. Sunt eruntque tamen pænitentis tui postrema ea verba, nihil de se dicentis, déque suis in te, SANCTISSIME PATER, inque Apostolicam Sedem meritis, siue Apostoli-

cis ac tuis per frequentes libros elogiis, siue primùm olim oppresso Richeriano Schismate, siue ea quæ magnanima visa est, defensione Tridentinæ Synodi; obsequió, fide, zelo, constantia, auxilio paucorum, notissimis. En vltrò, qui ad Sanctitatis tuæ pedes, calamum proiicit; ac animum inducit, vt, quod de Seuero Sulpitio referunt, cui iidem aduersarij fuere ac inuidi; proprio iudicio deceptus, agnoscens loquacitatis culpam, silentium donec os reseraueris, teneat. Anno Miserationis diuinæ, millesimo sexcentesimo vigesimo nono, die verò decimâ nonâ Mensis Iulij.



Extraict du Priuilege du Roy.

PAR Lettres Patentes du Roy, données à Fontainebleau le 4. Septembre 1625. Signées, SAVARY; Il est permis pendant cinq ans, à ANTOINE ESTIENE, Imprimeur ordinaire de sa Majesté; Outre les trois liures des Edicts du Clergé, déja publiés, d'imprimer encor tous les autres Edicts, Lettres Patentes, Arrests, & autres choses concernant les affaires du Clergé de France, qui luy seront par cy-apres baillées par les Agents Generaux dudit Clergé: Auec defenses à tous autres, de les imprimer, alterer, vendre, ny distribuer d'autre impression que dudit ESTIENE; A peine de mille liures d'amende, confiscation des exemplaires, & de tous despens, dommages & interests.

